



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu**

**Schwertfer, Wenzel**

**Pragæ, 1673**

Leopoldo Romanorum Imperatori Semper Augusto, Pio, Felici, Pacifico;  
Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ Croatiae Sclavoniæ, &c. Regi  
Potentissimo, Serenissimo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43132**

LEOPOLDO

ROMANORUM

IMPERATORI

SEMPER AUGUSTO,

PIO, FELICI, PACIFICO;

GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ,

DALMATIÆ CROATIÆ

SCLAVONIÆ, &c.

REGI POTENTISSIMO,

SERENISSIMO.

AUGUSTISSIME CÆSAR.



Votquot, in terra vivimus mili-  
 tamus! Quotquot cœlo adscribi-  
 mur, triumphamus. Utinam om-  
 nes strenuè militemus, ut glo-  
 riosè triumphemus. Sed Tu cum primis *LEO-*  
*POLDE* Imperator Augustissime, qui id unum *Consilio*  
*& Industriâ* spectas, & agis, ut per bella pro  
 Christiani Orbis defensione suscepta, glorio-  
 sos in cœlo triumphos consequaris; Nec du-  
 bita secuturos; hoc enim pollicetur Virtus  
 Tua, quæ DEO semper *primo Archiduce*, eodẽm-  
 que *secundo Comite* graditur; nec aliter, quã DEO  
 contra vitia depugnat. *Vitium enim, teste Chry-*  
*sofostomo, etsi secum habeat univèrsam Orbem terra-*  
*rum, est omnium maximè imbecillum: Virtus autem etsi*  
*sola sit, est omnium potentissima; habet enim DEUM secum*  
*stantem. Quis ergò servare potest eum, qui à DEO oppugna-*  
*tur? Quis autem potest perdere eum, cui ipse fert auxilium?*  
 Et verò longè potentiùs Virtus graditur, cùm  
 non solùm armata DEO, verùm etiam Sancto-  
 rum auxilio suffulta præliatur. Inter quos  
 cùm vulgi opinione (nulla enim adhuc Eccle-  
 siæ autoritate id constat) numeretur *R. Pater*  
*Martinus Stredonius* è Societate JESU, *Majestatis Tue*  
*Vasallus*; accedet is in præsidium Tuum, ut-

pote qui propijssimo Cæsare, parente, *FERDINANDO III.* & pro bono patriæ, Brunam armis Gothicis graviter oppugnatam, precibus suis Anno 1645. ( uti tunc fama circumferebat, & etiamnum circumfert ) eripuit, junctisque cum Præclaro *Heroë Ludovico Souchesio* animis ac viribus incolumem conservavit. Et quia memoratus piæ recordationis *R. P. Martinus Stredonius*, sub finē vitæ publicâ voluntate contestatus fuit, quidquid in terra effecisset orationibus & charitate proximis impensâ, velle se in conspectu Divinæ Majestatis abundantius præstare: speramus de majore ab eo conferendo subsidio, posteaquam in vita ac virtutum suarum imagine typo expictus, Palatium *Majestatis Tuæ* ingressus fuerit. In hanc enim fiduciam ire me jubet Philo Hebræus Scriptor, qui ait: *Cùm virum bonum in aliqua Domo aut Urbe habitantem video, Domum & Urbem beatam prædico, tum quia præsens felicitas ei mansura est, tum quia absens ventura.* Et Fullonius noster docet, *justos domesticos, columnas & bases Regum esse*: sicut Ezechix Isaias, Samaritanorum Elizæus; Onias & Hieremias Judæ Machabæi, tanquam domestici eorum. Id quod rectè colligitur ex illo textûs sacri Cant: 5. *Crura ejus columne*

*mnæ*

*mna marmorea; ubi Chaldæus interpres legit: Justi sunt columnæ sæculi, & basēs super sustentacula auri optimi; auri scilicet Regalis. Et cum S. Hieronymus verba Isaiaë: Vocaberis edificator sepium, ex Symmachi versione interpretetur: Vocaberis murum opponens cadenti. Vocabitur, uti speramus, R. Pater Martinus Stredonius, murū opponens omnibus, qui sinistri aliquid contra Serenissimā Domū Austriacā moliti fuerint. Memor haud dubiè prædictionis suæ de eadem Serenissima Domo: Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad Vesperam, & cū te consumptū putaveris, orieris ut Lucifer. Dum ergo sæpe memoratus piæ recordationis R. P. Martinus latus Majestatis Tuæ armatis suis precibus stipaturus ingreditur, sine & me velut umbram eum indignis meis orationibus comitari, & ad Majestatis Tuæ pedes profundissimè provolutum pro ejusdem incolumitate, DEO & Præstitibus sacris vota facere.*

## MAJESTATIS TUÆ

*Infimus Servus*

WENCESLAUS SCHWERTFER.